DISSERTATIO INAVGVRALIS CHIRVRGICA

DE

HYDROPE TVNICAE VAGINALIS TESTICVLI EIQVE MEDENDI VIIS VARIIS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO DVCE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. XX. IVLII CIↃIↃCCLXXXII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

HENRICVS ERNESTVS IVSTI

ROTLEBERODA - STOLLBERGENSIS

JENAE LITTERIS MAVKIANIS

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

§. I.

De hydrope tunicae vaginalis teſticuli iam acturus, minus ſollicitus ſum de ipſius morbi definitione, quia naturae eius atque conditionis cognitionem ex denominatione facile aſſequimur, quippe qui non niſi praeternaturalis humorum ſub teſtis tunica vaginali collectio haberi debet.

§. II.

Ante vero, quam in ipſius argumenti pertractatione vlterius progrediar, deſcriptionem aliquam certe partium affectarum anatomicam praemittere non alienum videtur.

Teſtium *inuolucra* ſunt et *communia*, quae cutis cum cuticula, ſubſtantia celluloſa et tunica dartos formant, et *propria*, nimirum tunica vaginalis teſticuli et tunica albuginea. Tunica vaginalis laxe inuoluit teſticulum, ita, vt ſuperius, anterius, interius et maxima ex parte poſterius libere propendeat, E contrario

trario albuginea cum ipſa teſtis ſubſtantia aeque ac epididymidis, arctiſſime cohaeret.

Alius vero eſt ſitus teſtium in foetu, alius in homine nato. In foetu adhuc in abdonime, ubi etiam formantur, pone peritonaeum deliteſcunt, ibique tela tantum celluloſa compactiori, quae vera eſt peritonaei continuatio, multis vaſis inſtructa lymphaticis, obuoluuntur. Haec eſt ſic dicta *albuginea tunica.* Inſtante uero partu, ſenſim deſcendunt teſticuli ad loculos ſeu proceſſus, quas format peritonaeum, per annulum abdominis in ſcrotum traductos, quorum ſubſtantia tela eſt celluloſa compacta. Plerumique patent in foetu hi loculi, ideoque hoc tempore immediatam cum cauo abdominis communicationem habent, vt absque vllo impedimento et commode ſatis huc deſcendere poſſint teſticuli.

Non ita multo poſt partum haec communicatio intercipitur, hiatu fere clauſo, vt caeteris viſceribus denegetur aditus. Teſticuli vero in vaginali libere propendent, nec vſpiam cum illa cohaerent, excepto eo loco, ubi in parte fere ſuperiori et poſteriori tunica vaginalis intime coniungitur cum albuginea teſtium, eique tam firmiter adhaeret, vt diſtincte ſatis perſpicere poſſimus, vtrique huic tunicae vnam eandemquae eſſe originem.

§. III.

Intra harum tunicarum cauum vaſa exhalantia fluidum quoddam deponunt, quod impedit, quo minus tunicae coaleſcant; Illud enim numquam non animaduertimus in ſtatu ſano. Quodſi vero iſtius humoris eadem quantitas, quae ſenſim exhalatur, ſenſim quoque non reſorbetur, vel ſi vaſorum reſorbentium functiones

functiones, ex quacumque tandem ſit cauſa, inhibentur, ibi magis magisque, confluit, et quia praeter iſta vaſa, nulla alia natura data eſt via, per quam latex defluere poſſit ſeroſus, debet is profecto, mole ſua quotidie aucta, diſtendere tunicam vaginalem, et tali modo gignere hydropem tunicae vaginalis teſticuli.

§. IV.

Ex ſtructura ergo tunicae vaginalis, iuſto tempore clauſae, facile intelligere poſſumus, cur humores neque ex tunicae vaginalis interſtitiis in abdomen aſcendere, neque ex hoc in illud deſcendere iterum queant, vt olim crediderunt, ſed neceſſario intra tunicam vaginalem, niſi per artem educantur chirurgicam, manere debeant. Quandoque tamen vſu euenit, vt eo iam tempore, quo loculi ſeu proceſſus peritonaei nondum ſunt clauſi, id eſt, in foetu, vbi adhuc latent teſticuli in abdomine, tanta humorum ex cauitate abdominis collectio in his proceſſibus facta ſit, ut, loculis poſt teſtium deſcenſum clauſis, per vim vaſorum abſorbentium diminui et diſſipari amplius nequeat. Hinc moles quotidie augetur, et tumor ſcroti ſenſim pedetentimque oboritur, qui vocatur *hydrops tunicae vaginalis teſticuli congenitus*. Hic morbus non adeo rarus eſt, vt vulgo creditur, ſed plerumque pro pneumatocele falſo habetur.

§. V.

Superſunt adhuc tres formae hydropis ſcroti, *Anaſarca* nimirum, ſymptoma hydropis totius corporis, cuius ſedes eſt in tela celluloſa ſcroti; deinde *hydrops tunicae vaginalis vaſorum ſpermaticorum*, qui ſedem ſuam habet in cellulis huius tunicae. Veterum cognitio huius morbi falſa erat, quia credebant, hanc

tunicam aeque, ac vaginalem, ſaccum formare, quo incluſa ſint vaſa ſpermatica, quique etiam humores contineat. At enim vero ſic dicta haec tunica nihil eſt, niſi tela celluloſa multis atque magnis inſtructa cellulis, quaeque vaſa ſpermatica in abdomine inueſtit, iisque modice adhaeret. Simulac vero per annulum e cauitate abdominis egreſſa eſt, ſubſtantia compactior et cellulae multo minores fiunt. Denique huc ſpectat *hydrops cyſticus*, qui ex collectione humoris in vnica tantum cellula tunicae ſic dictae vaginalis funiculi ſpermatici oritur, quam ſenſim diſtendit. Hic morbus adeſſe poteſt, ſalua et perfecte ſana reliqua huius tunicae parte.

§. VI.

Morbus vero, de quo nobis ſermo eſt, neque cum anaſarca ſcroti, neque hydrope tunicae vaginalis vaſorum ſpermaticorum, neque hydrope cyſtico iam nominatae tunicae, quidquam commune habet, ſed eſt morbus per ſe, vereque topicus, qui ſola vaginali tunica teſtis continetur. FALLOPIVS (*a*) hanc aegritudinem, licet veram eius non ſatis perſpexerit originem, cognouit tamen, et exquiſite deſcripſit: „*Hydrops, inquit, tunica etiam vaginali ſaepe includitur, et ab hydrope tunicae vaſorum ſpermaticorum dignoſcitur, quia in hac ſpecie morbi teſticulus ab aquis ſeiunctus eſt, et facile tactu percipi poteſt, minime vero in illa, quia humores et teſticulus in eodem ſunt loco, atque ideo aquis circumdatus eſt.* Optimam vero et accuratiſſimam huius hydropis ſpeciei deſcriptionem PAVLLVS AEGINETA (*b*) nobis reliquit; „*Humores*, ait, *colliguntur maxima ex parte in tunica ery-*

(*a*) Obſeruat. Anat. Venet. 1564.

(*b*) Lib. De Re Medica L. VI. C. 62. p. 576. Coll. Steph.

erythroide, quae ambit teſticulum in parte anteriori, vbi haec membrana a teſticulo maximae diſtat.,, Secundum WARNERI (c) obſeruationes incolis auſtralis regionis familiarior eſt morbus, quam qui frigido ſub caelo viuunt. At enim vero in Anglia quoque frequens eſt. Nulli parcit aetati, ſed aeque adultiores, ac infantes, quibus ſaepe eſt connatus, diro malo obnoxii ſunt. Mox dextrum, mox ſiniſtrum ſcroti latus occupat, quandoque etiam vaginalis vtriusque teſticuli eodem morbo tenetur, quamuis inter harum tunicarum caua plane nulla ſit conſpiratio. Tumor non ſemper vnam eandemque habet magnitudinem: haec enim a maiori aut minori humoris plerumque pendet collectione; plerumque dico, quia haud raro non praeternaturalis ſolum ſcroti et vaginalis tunicae craſſitudo, verum morboſum etiam teſticuli incrementum tumoris magnitudinem adauget. Modo maior, modo minor, et ab initio rotundus eſt tumor, formamque habet teſticuli, ſenſim vero fit piriformis, quo tempore inferior eius diameter ſuperiori longe antecedit magnitudine. Porro ſub initio ad tactum mollis eſt, tandem vero, mole perpetuo aucta, tantam acquirit duritiem, vt preſſui digitorum aut parum, aut nihil prorſus cedat: in quo ſtatu prae ſe fert ſpeciem ſarcoceles et ſcirrhoſi teſticuli. Vt plurimum absque omni eſt dolore, et, quae WARNERI eſt opinio, propter tunicarum ſenſibilitatem deficientem et expanſionem tunicae vaginalis preſſumque albugineae et teſticuli ſenſim auctum. Neque hoc tempore inflammatio ſubeſt, niſi ſit cauſa morbi; Tuncenim omnino ſecum adfert dolorem, inprimis in partibus aponeuroticis. Quo maior copia humoris, eo difficilior eſt ſtatus et conditionis teſticuli diagnoſis, quae tamen ad morbum ſanandum ſumme neceſſaria eſt.

 In

(c) An Account of the Teſticles etc. Lond. 1774.

In genere vero vbi magna etiam aquarum moles tumorem effert, teſticulus tamen ſanus eſt, licet quidam crediderint, teſticulum perpetua inundatione morboſum fieri, et nexus vaſorum hoc incremento deſtrui. His autem aduerſatur experientia. Saepe enim magna humorum euacuatur quantitas, ſano adhuc teſticulo: namque ſtatus morboſus teſticuli non eſt effectus humoris effuſi, ſed potius cauſa. Teſtis ſcirrhoſus impedit, quominus humorum circuitus rite fiat, obſtructa ſunt vaſa, et ex hac cauſa morboſa ſeri collectio in ſpatio tunicae vaginalis facile oritur. Tunc vero maximam voluminis partem conſtituit morboſus teſticulus, minime humores, quorum exigua quantitas ſecundum auctorum obſeruationes hoc tempore vt plurimum eſſe ſolet, quid! quod prius eiusmodi conditio teſticuli adeſt, quam ulla humoris accumulatio ſentiatur.

§. VII.

Quod ad opiniones auctorum aeque falſas ac diuerſas attinet, morbus variis ex cauſis oritur. Quidam enim non dubitant, quin cauſam in vaſa ſeminis cum emulgentibus coniiciant. Hildanvs (*d*) itaque, Bonnetvs (*e*), Dodonevs (*f*), Schenckivs (*g*) et alii errorem loci vrinae incuſant, et ex hac ratione, hydropem tunicae vaginalis, cauſa interna exortum, ſemper fere ſiniſtrum occupare teſticulum, credunt, quem inundet latex ſeroſus, per venam ſpermaticam ſiniſtram ex renali ſiniſtra ad illam traductus. Hos omnes autem Carol. Mvsitanvs (*h*) ob

hanc

(*d*) Opera omnia Obſeruat. Chir. Cent. IV. Obſ. 56.

(*e*) Sepulcret. Lib. III. Sect. XXIX. Obſ. 21. §. 3. Schol.

(*f*) Obſ. Cap. 39 et 40.

(*g*) Lib. II. de hydrope Obſ. 6. 7. 10.

(*h*) Chirurgia T. I. Cap. 57. pag. 260.

hanc ſententiam vituperat. „*Putarunt*, *inquit*, *vulgares chirurgi*, *hydrocelen in ſcroto non generari*; *ſed a partibus ſupernis aquam deſcendere*, *ſed haec ſunt inſulſitates.*„ Quidam ſtatuunt, eiusmodi ſeroſum laticem in ſcrotum deſtillare a vaſis vrinariis illud ad veſicam deferentibus, ſi in eorum tunicis raritas aliqua vel a naturae primordiis facta ſit, vel temporis proceſſu per vim acrioris vrinae ſuperuenerit. Crediderunt alii, aliquid humoris aquoſi a rene ad ſcrotum defluere, ſed quales ductus id efficiant, non docent. FABRICIVS ab AQVAPENDENTE (*i*) cum LANFRANCO contendit, morbum quandoque ſolummodo eſſe ſymptomaticum, et hydropem vniuerſi corporis comitari. Alii ſtatum morboſum hepatis in cauſarum habent numero, quo iure, neſcio.

§. VIII.

Adhuc ſub iudicie lis eſt, quae ſit huius morbi vera cauſa proxima. Quidam in ſtatu varicoſo vaſorum ſpermaticorum eam poſitam eſſe aiunt, et fortaſſis RVYSCHIVS (*k*), qui fouet hanc ſententiam, illud exinde coniicere voluit, quia in hominum cadaueribus, qui hoc morbo laborarunt, varicoſa vaſa ſpermatica inuenerat. Rectius MORGAGNIVS (*l*) ſenſiſſe mihi videtur, qui morboſa conſtitutione internae tunicae vaginalis, et externae tunicae albugineae teſtis cauſam primariam contineri affirmat. Equidem ſic exiſtimo, omne id, quod humorum exhalationem in hoc cauo auget, vel neceſſariam humorum ſorbitionem impedit, idoneam cauſam conſtituere, ex qua morbus ducere poſſit originem.

(*i*) Pentateuch. Chir. Lib. I. P. I. Cap. 27.

(*k*) Aduerſar. anatom. Decad. III. p. 20.

(*l*) De ſedibus et cauſis morbarum L. II. Ep. 20. Obſ. 24. p. 196.

nem. Quare Warnervs (*m*), non alienus a re, debilitatem et relaxationem tunicarum et vaſorum, horumque ſubitam lacerationem, vel irritationem, quae ex imflammatione aut vehementiſſimo dolore oritur, quibus afficiuntur vaſa lymphatica, ideoque turbatas vaſorum exhalantium et abſorbentium functiones, huius aegritudinis cauſam pronunciat. Ecquis itaque meliorem huius hydropis ſpeciei aetiologiam iam tradidit litteris, quam Boerhaavivs (*n*)? *Fit hydrops, inquit, inuolucri vaginalis teſtis, ſi humor ibi ſecretus non reſorbetur ſuis vaſis, ſed ſtagnat, accumulatur, veſicam ſuam diſtendit in immenſum ſaepe; aut ſi ruptis et obſtructis vaſis itidem colligitur: Obſervatum fuit hunc morbum produci ab omni cauſa, quae valet liquidum ſeroſum ita coërcere, vt redire nequeat in venas, ſed ſtagnet, vel ipſa vaſa rumpat ita, vt intra membranulas effundatur, aut vaſa reducentia a cauitatibus ita obſtruat, et liquida in cauitatibus depoſita tam parum moueat, vt non exhalent, nec reſorbeantur,* „

Eadem fere Mvsitanvs (*o*) nos docuit. „*Oritur, inquit, hydrocele, cum ductus lymphatici intra teſtium tunicas contenti, vel occluduntur, ex quorum occluſioue nimii non purgantur latices, et per haec vaſa impeditur tranſitus; vel a lymphae copia rumpuntur, vel liquoris acrimonia eroduntur. Huc etiam ſpectat vaſorum debilitas et raritas, praecipue accedente aliqua cauſa externa, vt percuſſione vel compreſſione.*„ Ad tardiorem aut celeriorem tumoris amplificationem haud parum ſana confert conſti-

(*m*) L. c.

(*n*) Aphor. de cognoſc. et cur. morb. Apho 1227. 1228.

(*o*) L. c.

conſtitutio corporis. Senſim plerumque increſcit, et ab initio parua eſt ac ſine vllo incommodo tumor tunicae vaginalis, qui ex debilitate et relaxatione, fortaſſis etiam vaſorum lymphaticorum exhalantium laceratione, proficiſcitur, cum e contrario ſumma vaſorum reſorbentium debilitate et intercepto humorum circuitu morbus ſubito augeatur.

§. IX.

Iam vero quaeramus, quodnam ſit ſignum huius morbi primarium. Licet omnes omnino auctores tumoris pelluciditatem tale ſignum declarauerint, nihilo ſecius tamen eſt omnium longe fallaciſſimum. Haec enim non aeque ab humoribus, ac ipſis potius tunicis, quae illos includunt, vnice pendet. Collectionis ſaccus, vt magni Boerhaavii (*p*) verbis vtar, qui pelluciditatem tumoris ſignis huius hydropis quoque annumerat, candelae lucenti expoſitus, cernitur quidem clarus, verum non ſemper radii lucis admotae translucent. Tunicae enim vaginalis craſſitudo augetur, praecipue ſi malum ſit inueteratum (*q*), quid? quod integumentorum communium craſſitudo ſaepe tanta eſt, vt radii lucis ea ne poſſint quidem penetrare. Contra vero ſi morbus adhuc recens eſt et ſubito ortus, neque integumentorum diameter vltra, ac par eſt, auctus, candela admota per ſaccum aliquo modo cernitur. Interea illud quoque debetur humoribus qui partim nimia ſua copia impediunt, quominus lux translucere queat, partim vitioſi ſunt. Non ſemper enim limpidi, ſed etiam haud raro turbidi, imo ſanguinei, vt Celsvs (*r*) et Pavllvs Aegineta (*ſ*) iam mo- nue-

(*p*) L. c.
(*q*) Monro an Eſſay on the Dropſy p. 165.
(*r*) De Re Medica Lib. VII. Cap. 18.
(*ſ*) L. c.

nuerunt, fuſci, liuidi ac fere nigricantes, quin etiam coagulati inueniuntur. Tutiſſimum et certiſſimum ad morbi diagnoſin efficiendam tactus eſt, niſi quando haec difficilis redditur morbi complicatione. Quandoque enim fit, vt coniunctus ſit cum hydrope tunicae vaſorum ſpermaticorum, hydrope cyſtico et oſcheocele. Interea hae complicationes rariores putandae ſunt, de quibus tamen, quia notari omnino merentur, infra pluribus dicere animus eſt.

§. X.

Quodſi ergo morbus ſimplex eſt, funiculus ſpermaticus eo loco, vbi teſticulum intrat, ad annulum vsque abdominis accurate et diſtincte tactu percipi poteſt, ac tumor intra funiculum propendet ſpermaticum. Accidit autem, vt tunica vaginalis aquarum mole veluti ſurſum attollatur, ideoque vix ac ne vix quidem funiculus amplius diſcerni poſſit. Attamen ſi, qualis ſit harum tunicarum poſitus et figura, ex anatome bene perſpectum cognitumque habeas; facile veram et tutiſſimam hydropis tunicae vaginalis aſſequi poſſimus diagnoſin. Vaginalem enim tunicam laxe inuoluere teſticulum, ſupra iam expoſui; attamen iſta non prorſus, vt quidam credidere, libera eſt, ſed in teſticuli parte poſteriori, fere media, magis tamen ſuperius, albuginea itaconiuncta eſt, vt inde euidens ſit et perſpicuum, vaginalem teſtis et albugineam vnam eandemque habere originem. Idem ille locus, quia propter ſtructuram ab aquis immunis, atque hanc ob cauſam ad tactum durus eſt, digiti exploratione facile detegitur atque cognoſcitur, et ſic morbi natura rite definitur, cum e contrario tumor; qui circumcirca eſt, niſi ſemper mollis ſit, nec aquarum fluctuatio ſentiatur, preſſui tamen

men, in ſummo etiam morbi gradu, aliquantum concedat, licet illico reſiliat. Hic vero locus digito prementi reſiſtit, et, preſſu continuato atque aucto, dolor ille ſingularis teſticuli conquaſſati excitatur. Signum illud non ad veram ſolum morbi diagnoſin, verum ad illius etiam ſanationem ſuſcipiendam perneceſſarium et maximi momenti eſt. Punctura enim ſeu inciſio vbique, eo loco tantum excepto, vbi vtraque tunica coaleſcit, ideoque teſticulo et epididymidi facillime inferri poteſt laeſio, expers eſt omnis periculi. Hac re facile diſtinguitur non tantum ab anaſarca ſcroti, quae vbqiue aequali modo tumet, in qua nullus locus tactu percipi poteſt durus, et tumor vbicumque cedit digiti preſſurae, nec illico reſilit; ſed quoque ab hydrope cyſtico tunicae vaginalis funiculi ſpermatici, qui fere eandem habet figuram, ac hydrops tunicae vaginalis teſticuli; tumor vero aequalis eſt, nec locus digiti appoſitu durus perſentiſcitur. Porro in enterocele teſticulus intra tumorem tactu diſtingui poteſt, isque etiam ad annulum vsque abdominis aſcendit.

§. XI.

Maiorem vero teſticulus ſcirrhoſus meretur attentionem, qui ad collectionem laticis in tunica vaginali multum confert, ſiquidem vaſorum reſorbentium functiones facile euertere poſſit, et ex hac cauſa ſaepe coniunctus cum hac ſpecie hydropis ſit. Difficilem ergo reddit huius morbi, ſimplicis nimirum, diagnoſin, quam tamen ad perfectam medelam ſumme neceſſariam eſſe, nemo in dubium vocabit. Vno enim ore medici teſticuli ſcirrhoſi ſuadent extirpationem. Verum enim vero quia humoris collectio eſt effectus ſcirrhoſi teſticuli, ex praegreſſis coniectura facile aſſequimur, morbum praeſentem eſſe complicatum. His

 addas

addas dolorem, duritiem et inaequalitatem, quae omnia notantur, antequam adfuerit aliqua fluctuatio. Porro funiculus ſpermaticus morboſus inuenitur, et plus minus craſſa, anfractibus vndique interſtinctavaricibus que plena eminentia ſuboritur. Hic morbus multum differt a ſimplici hydrope tunicae vaginalis, quamuis etiam magnitudo teſticuli praeter naturam augeatur, quoniam, vt obſeruationibus conſtat, illius et funiculi ſpermatici vaſa aliquomodo diſtenduntur. Hydrops autem tunicae vaginalis adeſſe poteſt absque omni morboſa teſticuli conditione, id eſt, vaſa ſpermatica nihilominus ſuo munere rite perfunguntur. Humoris ergo collectio eſt effectus ſcirrhoſi teſticuli, tuncque peculiari et ab ea, quae hydropi tunicae vaginalis competit, longe diuerſiſſima opus eſt medendi ratione. Etenim hic punctura aut inciſio ad aquas euacuandas non ſolum irrita foret, ſed triſtiſſimum quoque haberet euentum, quin ipſam haud raro inferret mortem. Laticis euacuatio ad morbi ſanationem nihil facit, quia ſymptomata tantum, cauſam vero, obſtructionem ſcilicet vaſorum et duritiem teſticuli, non aufert. Eandem teſtis venereus deſiderat circumſpectionem, qui itidem ad illius ſimilitudinem accedit, et tamen, vt morbus antea deſcriptus, longe aliam medendi viam requirit, ac aegritudo, quam huc vsque deſcripſimus. Ex hiſtoria morbi autem et vita praegreſſa fere dignoſcitur. FABRICIVS HILDANVS (t) et Cl. POTT (u) nos ſatis ſuperque docuere, quanta ſit pernicies, quantum periculum pertimeſendum a peruerſa medicatione. Alia enim eſt curatio teſticuli ſcirrhoſi, alia herniae humoralis ſeu teſticuli venerei, alia hydropis tunicae vaginalis teſticuli.

§. XII.

(t) L. c.

(u) Abhandl. von dem Waſſerbruch etc. a. d. engl. überſ. Koppenhag. 1770.

§. XII.

In genere duplicem habemus medendi viam, *palliatiuam* et *radicalem.* Vtraque cernitur operatione chirurgica. Quidam medicamentis internis et externe adplicatis morbum depellere tentarunt, quare apud veteres magnam medicamentorum farraginem commendatam inuenimus, ſemper vero absque vllo fere ſucceſſu adhibitam. Attamen ſi fides habenda WARNERO (*w*) eſt, haud raro in infantibus, nunquam in adultioribus, medicamenta euacuantia, iuſto temporis interuallo repetita, irritantia atque adſtringentia, parti morboſae externe applicata, hunc morbum feliciſſime ſuſtulerunt (*x*).

At vero medelae palliatiuae ea eſt ratio, vt incommoda, quae tumoris pondus et magnitudo infert, quoad eius fieri poteſt, auferantur, idque fit humorum euacuatione. Senſim vero quia ſedes morbi intacta relinquitur, noua ſcaturit aquarum moles, eamque ob rem iteranda operatio eſt. Haec, in ſe ſpectata, nullius, maioris vero momenti eſt inſtrumentum, quod in auxilium vocatur, atque locus, quo punctio inſtituitur.

§. XIII.

Alii vſi ſunt cultro acuto, alii acu triquetra, cannulae ſulcatae immiſſa. Minus autem expectationi ſatisfacit vulnus cultro inflictum, cuius labia, cultro extracto, ſtatim coeunt, quare cannulam inducere cogimur, qua acus triquetra iam inſtructa eſt. Melius itaque acu perficitur paracenteſis. Quaeritur autem, quinam locus ad puncturam maxime

(*w*) L. c.

(*x*) MONRO Med. Eſſ. and obſ. Vol. V. P. I. p. 312.

xime ſit idoneus. Cum ex iis, quae ſupra iam expoſuimus, ſatis pateat, eorum falſam eſſe opinionem, qui putant, teſticulum in vaginali nullis vinculis ligatum propendere, et in ſuperiori tantum parte adhaerere, nec arctiſſimam tunicae vaginalis cum albuginea coniunctionem in parte poſteriori et fere media cognitam habent; puncturam hoc loco inſtitutam propter metuendam teſticuli et epididymidis laeſionem eſſe periculoſam, quilibet facile perſpiciet. Quid? quod intima harum tunicarum cohaerentia impedit, quominus humores effluere poſſint. Locum ergo ad punctionem aptiſſimum inuenimus in infima ſcroti parte, quia tunica vaginalis a corpore teſtis hic quam maxime diſtat. Sic autem fieri ſolet operatio. Scrotum manu ſiniſtra comprimitur, vt humores ad intimam ſacci partem veluti confluant, et tumor reſiſtat acui triquetrae, qua integumenta ita perforantur, vt cuſpis eius extrorſum et antrorſum dirigatur. Poſt puncturam cannula, acu extracta, in vulnere relinqitur, et denique haec, humoribus eductis, quoque extrahitur. Iam vero non poſſum, quin Cl. Pottii (y) ſequar ſententiam, ex qua vſum fomentationum aliorumque medicamentorum reſoluentium poſt operationem vulneri adplicandorum aſpernatur, quae, vt ait, apud veteres ad recidiuum morbum praeuertendum magno numero praeſcripta et commendata legimus. De qua ſententia ſectiones anatomicas et experientiam appellat. Linteo carpto et ſuſpenſorio contentus eſt, nec puncturam vllius eſſe momenti, nedum periculi plenam, et ſaepe intra aliquod horarum ſpatium coaleſcere vulnus, interdum quamuis rarius, inflammari, et leuiter ſuppurare, quandoque vero ad tunicam vsque vaginalem penetrare, ac medelam efficere radicalem. (z) Interdum

(y) L. c.

(z) Saviard Obſ. Chir. obſeru. 49.

terdum gangraenam, periculum, quin etiam mortem ſequi punſturam, idem auctor (*a*) eſt.

§. XIV.

Iam antiquiores medici, vt et recentiores, multas litteris commendarunt medendi vias ad perfectam curam obtinendam, easque ob morbi notionem variam varias. Quisque enim ex praeiudicata opinione hanc illamque medelam praeferebat, et euentum votis reſpondiſſe gloriabatur. Sic LEONIDES (*b*) vſtionem omnibus aliis auxiliis anteponendam putabat, GVIDO de CAVLIACO (*c*) cauſticis medicamentis folliculum conſumebat, orſenico eſcharam faciebat, et ſaccum ſuppuratione deuaſtabat, VALESCVS de TARANTA (*d*) curationem narrat ab ipſius ſodali peractam, qui durum folliculum in hydrocele latentem perforauerit, aquam expreſſerit flaueſcentem, et ſetaceo malum denique ſuperauerit. AMBROSIVS PARAEVS (*e*) totam aperire hydrocelen et ſetaceum traiicere ſuadet. AMATVS LVSITANVS (*f*) hydrocelen repetita inciſione ſanauit. PETRVS FRANCO (*g*) ſetaceo quidem vſus eſt, eam vero medendi rationem omnibus aliis praefert, ſub

(*a*) POTT an Account of the Hydrocele, Obſ. 21. 22.

(*b*) LEONIDES de hydrocele. vid. AETIVM Tetrabibl. IV. Serm. II. c. 22. p. 692. Coll. Steph. Cap. 21. et RHAZEVM Lib. XI. de hern. omnis generis.

(*c*) Chirurgia, Tract. VI. Doctr. II. Cap. I.

(*d*) De medend omnib. human. corpor. affectibc pag. 333.

(*e*) Collect. oper. chir. Lib. VII. Cap. 17.

(*f*) Curat. med. Cent. II. Cur. 84.

(*g*) Traité des hernies

ſub qua totum ferro aperitur ſcrotum, turunda immittitur, et vulnus lente conſolidatur. GVILIELMVS FABRICIVS (*h*) hydroceles ſanationem inciſione, tunica, aquae ſede, ligata, abſoluit. DANIEL SENNERTVS (*i*) inciſionem at AVICENNA (*k*) ſcalpellum et cauterium commendat. MARC. AVR. SEVERINVS (*l*) ſaccum ſcalpello candente perforauit et ſetaceum traiecit. ZACVTVS LVSITANVS (*m*) per ſyphonem immiſſum hydrocelen ſanauit. THOMAS BARTHOLINVS (*n*) hydroceles ſanationem tutam eſſe per ſimplicem puncturam, teſtatur. BERNARDINVS GENGA (*o*) tubuli vſum, per factam inciſionem exiguam immiſſi, et acus BARBETTI, improbat, laudat ſetaceum, quod CORNEL. SOLINGEN in vſum vocauerit. CHABERT (*p*) de effectu exoptatiſſimo cauſticorum in hydroceles ſanatione gloriatur, contra IO. NEPOM. ab HVMBVRG (*q*) neque ſetaceum, neque acum triquetram, neque cauſtica medicamenta perfecte ſanare hydrocelen, ſed neceſſe eſſe, vt ſaccus per longitudinem diſſecetur, experimentis comprobare auſus eſt. THEODORICVS (*r*) ait. „*Cura hydroceles eſt, vt incidatur cutis teſticulorum ſectione ampla, longitudine: excorietur, donec ad locum aquae peruenias, deinde perfora,*

(*h*) Obſ. chir. Cent. IV. obſ. 65.

(*i*) Medic. pract. Lib. III. P. IX. Sect. I. Cap. 7.

(*k*) Lib. III. Tract. I. Cap. 6.

(*l*) De efficac. med. Lib. II. P. I. Cap. 78.

(*m*) Prax. med. admir. Lib. II. obſ. 84.

(*n*) Obſ. med. ab HENR. et MOINICHEN. obſ. 18.

(*o*) Anatom. chirurg.

(*p*) Obſeruations de chirurgie

(*q*) Obſeru. de hydrocel. cur. rad.

(*r*) Chirurg. Lib. III. cap. 36.

fora, vt aquae effluant. Inueſtiga, num teſticulus ſit corruptus. Qui ſi fuerit, cum ferro calido incidatur, extrahatur, deinde curetur vulnus, donec ſanatur. Quando dimittitur teſticulus corruptus, aegritudo patitur recidiuam.„ Quae omnia iisdem verbis ſcripta iam legimus in BRVNI Chirurgia (*s*). CELSVS (*t*) commendat extirpationem tunicae vaginalis, PAVLLVS AEGINETA (*u*) laudat inciſionem et extirpationem, BERN. GORDONIVS (*w*), IO. ANGLICVS (*x*), LVCIDARIVS (*y*) et HOLLERIVS (*z*) cauterium in deliciis habent, cuius vſum CAROL. MVSITANVS (*a*) improbat. „*Nonnulli ſcrotum, inquit, vt aquam educant, cauterio aperiunt, verum perperam faciunt. Nam vlcus inde ſuccedens difficulter ſanatur, quia hydrocele eſt ſcroti hydrops. Hydropicorum autem vlcera, teſte* HIPPCRATE (*b*), *aegre ſanantur.„* Porro IO. ZECCHIVS (*c*) et IO. PVLVERINVS (*d*) laudant ſectionem.

BOISSIER de SAVVAGES (*e*) recenſet varias medendi vias „*Radicalem curam, inquit, obtinebis ſectione in ſcroto facta,*

ope

(*s*) Chirurg. magna Lib. II. Cap. II.

(*t*) L. c. Cap. 19. de teſt. natur. et morbis eorum.

(*u*) L. c. Lib. VI. Cap. 62.

(*w*) Opuſc. med. Part. VII. Cap. 7.

(*x*) Prax. med. Roſa angl. dicta, de hern. p. 166.

(*y*) Tractat. quartus Cap. 12. de hernia

(*z*) De Morb. Intern. Lib. *II.* Cap. 62.

(*a*) Chir. T. I. Cap. 57. p. 263.

(*b*) Aphor. Sect. *VI.* Aph. *VIII.*

(*c*) Conſult. medic. conſult. LX*III.*

(*d*) Medic. Pract. Cap. 100.

(*e*) Noſolog. Method. T. *I.* p. 168.

ope ſcalpelli a ſuperioribus ad inferiora; porro ope cauſtici, quo longitudinaliter ſcrotum aperies, deinde adbibito ſetaceo, quod ope acus grandioris per ſupremam ac lateralem ſcroti partem deorſum traiicies. Sunt et aliae methodi, vt illa RVYSCHII et MARINI, quarum etiam HEISTERVS (*f*) mentionem facit. RVYSCHIVS (*g*) ſcrotum in ſuperiori et laterali parte incidebat, et ad exicitandam inflammationem et ſuppurationem ciendam, turundam, vnguento roſaceo, mercurio praecipitato rubro permiſto, illitam, per vulnus traiiciebat. Hanc imitatus eſt MARINVS (*h*), ea tamen cum mutatione, vt loco turundae cereo digiti craſſitudine et trium digitorum transverſorum longitudine vteretur. SHARP (*i*) ſimplicis inciſionis feliciſſimum ſucceſſum multis firmat experientiae teſtimoniis, PLENCKIVS (*k*), praeter ſolam inciſionem, omnes alias damnat medendi vias, BERTRANDI (*l*) teſtatur, hydropem teſtis tunicae vaginalis inueteratum ope ſetacei ſeu turundae propter haud idoneum puris fluorem difficillime perfecte ſanari, nec cannulam absque magno periculo et grauioribus ſymptomatibus, vt ipſe expertus ſit, in vulnere relinqui.

DELATTRE laudat (*m*) inciſionem, damnat cauterium ex rationibus, et ſetaceum plerumque ſerius, ſaepe vero nunquam prodeſſe,

(*f*) Inſtitut. Chir. P. II. Cap. 122. p. 792.

(*g*) Aduerſar. Anatom. Dec. II. p. 22.

(*h*) In prattica delle principali operazioni etc. p. 230.

(*i*) A cirtical Inquiry into the preſent ſtate of ſurgery p. 87.

(*k*) Neues Lehrgebaeude von Geſchwuelſten XV. Claſ. p. 186. verſ. germ.

(*l*) Abhand. von den chir. Operat. a. d. Ital. uberſ. Wien 1770.

(*m*) Iournal de Medic. et chirurgie T. XXXII. Par. 1770.

prodeſſe, teſtatur. SCHMUCKER (*n*) curam radicalem inciſione, ſine vllo grauiori ſymptomate, obtinebat, id quod WARNERUS (*o*) etiam expertus eſt, licet poſtea turundam ſemper in vſum vocauerit; at vero HUME (*p*) iniectionem ſpiritus vini ex eadem ratione magni facit.

Quaedam vero horum auxiliorum ex materia chirurgica ſunt proſcripta, quia ex falſis ratiocinationibus eorum vſu operam ſe perdidiſſe multi perſpexerint.

Huius generis ſunt, ait POTT (*q*), vſtio, ligatura et iniectio. Non opus eſt nobis auxilium, quod aquae deſcenſum ex cauo abdominis in tunicas vaginales impediat, quia ex anatomica harum partium cognitione, ſupra expoſita, facile intelligimus, aquae in abdomine retentae aditum ad involucra teſticuli propria eſſe praecluſum. Porro hos humores, ſua natura eſſe noxios, humorum deriuatione ad ſcrotum corpus aduerſus alios morbos muniri, atque ad morbi ſanationem gradatim obtinendam cannulam et turundam eſſe neceſſariam, nobis perſuadere non poſſumus.

§. XV.

Cura vero radicalis duplici modo efficitur, nimirum ſi vel eiusmodi inflammationis gradus in vulnere excitatur, vt tunica vaginalis teſticuli cum albuginea concreſcat, nouaeque aquarum collectioni nullus amplius locus ſit, vel ſi eum in finem tunica vagina-

(*n*) Chirurgiſche Wahrnehmungen 2ter Theil.

(*o*) L. c.

(*p*) L. c.

(*q*) Abhandl. von dem Waſſerbruche p. 142.

vaginalis aut ſuppuratione, aut cultro aufertur. Cum olim ſub curatione palliatiua caſu et fortuito imperfecta morbi ſanatio ſequeretur, ea, quae adhibuerant, auxilia, ad efficiendam curam radicalem profitebantur eſſe tutiſſima. Ea omnia autem quum inflammatio ſaepe in nonnullis tantum locis tunicae vaginalis et albugineae coalitum pepererit, itaque morbus denuo redierit, atque eorum vſus ſymptomata periculoſa; dolorem vehementem et fere mortem intulerit, generatim ad curam radicalem commendari non poſſunt. Septem ergo habemus medendi vias, nimirum per *Turundam*, *Cannulam*, *Iniectionem*, *Setaceum*, *Cauterium*, *Extirpationem* et *Inciſionem*.

§. XVI.

Rvyschivs (r) incidebat ſcrotum, et per labia vulneris turundam, vnguento roſarum, cum mercurio praecipitato rubro miſto, obductam, inducebat, vt inflammationis beneficio ſacci vaginalis atque albugineae coalitum, eaque via nouam aquarum ſcaturiginem intercipiendam efficeret. Warnervs (ſ) tumorem ſcalpello pungebat, et, aquis euacuatis, vulnus turunda quadam ex ſpongia filoque armata opplebat, poſt ſuperimponebat emplaſtrum, puotidie vero nouam ſubmittebat turundam ad tertium vsque diem, quo plerumque oriebatur inflammatio; licet haec interdum die ſecundo, interdum vel ipſo demum vndecimo ſecuta fuerit. Quo facto turundam extrahebat, et vulneri vnguentae mollientia et cataplaſmata imponebat. Ob inſecutam ſuppurationem ſaepe accidit, vt naſcerentur collectiones puris, eaeque integumentorum diſſectione educendas. At vero cum hac ratione non ſemper morbum perfecte ſanari, quando-

que

(r) L. c. (ſ) L. c.

que etiam mala ſymptomata, vomitum, febrem, dolores abdominis cet. ſuboriri ipſe fateatur; multa ſunt, quae contra dicenda putes. Primo irritatio, quem turunda facit, nonnunquam nimis debilis eſt, atque hac ex cauſa et propter minus irritabile corpus vel plane nullam, vel particularem tantum imflammationem tunicae vaginalis excitat, vnde particularis quoque coagmentato et morbus recidiuus (*t*) ſequitur, quale vitium Pott (*u*) aliquoties animaduertit. Deinde anguſtia vulneris impedit, quo minus denuo collecti humores et pus liberius effluere poſſint, vnde noua collectio et inuolucrorum teſtis confectio, nec non ſymptomatum augmentum atque exacerbatio pertimeſcenda ſunt; quippe refricatur dolor, et febris vehementer augetur. Denique aegrotus de vita periclitatur, niſi chirurgus conditionem teſticuli antea ſatis cognitam habuerit atque compertam. Qui ſi qua ex parte fuerit ſcirrhoſus, propter ſtructuram vaſculoſam citiſſime in cancrum degenerat.

§. XVII.

Monroi (*w*) via medendi itidem conſiſtit in tunicae vaginalis et albugineae inflammatione, per cannulae irritationem cienda, harumque partium coalitu; cum enim, ait, quidam tantum inflammationis gradus ad tunicarum coaleſcentiam ſit neceſſarius, neceſſe eſt, vt chirurgus inflammationem augere et imminuere poſſit. Hanc praerogatiuam habet iſta methodus. Cannula enim, ſi quando irritatio et inflammatio iuſtos excedat limites, facile auelli

(*t*) Warnervs l. c.

(*u*) L. c.

(*w*) L. c.

auelli, et ſic cauſa inflammationis auferri poteſt. Sequenti modo ergo, ex MONROI conſilio, aggrediendum opus eſt. Tumor perforatur paracentero, latex, acu extracta, emittitur, et cannula in vulnere relinquitur, eum in finem, vt irritatione ſua inflammationem concitet. HENR. MOINICHEN (x) hanc medelam iam propoſuit. Paruam enim faciebat inciſionem, atque ſic ſpecillum plumbeum, quo irritabatur vaginalis tunica, introducebat. Primo intuitu multum commendationis habere videtur iſta curandi via, quia operatio chirurgica aeque breuis ac facilis eſt. Merito autem quaeritur, ex quibusnam ſignis iuſtus irritationis gradus, ad vniuerſae tunicae vaginalis inflammationem neceſſarius, bene cognoſcatur? Vnde ſcias, vniuerſam tunicam vaginalem iam eſſe inflammatam? Quae omnia tuto ſatis definiri non poſſunt. Quare etiam de particulari inuolucrorum coalitu et morbo recidiuo metuere nos opportet. Porro cannulae acumen plus irritationis creat, quam ea pars cannulae, quae tunicam vaginalem attingit, quia acumen, mutato ſitu et motu corporis, ſemper ad teſticulum adigitur, quem valde affricat et vellicat. Tunica ergo albuginea, ſiquidem maiori, ac vaginalis praedita ſit ſenſibilitate vel irritabilitate, neceſſario magis, quam vaginalis, inflammatur. Quid? quod vaginalis, inprimis ſi morbo ſub inueterato maiorem iam acquiſiuerit craſſitudinem, ne ſemper quidem inflammabitur, quia ſpatium, intra quod cannula facile ac leniter mouetur, nimis anguſtum, eaque vaginalis tunicae pars, quam attingit, nimis parua eſt. Debet ergo, tamquam corpus peregrinum, irritationem paullo maiorem inferre, quae autem ob auctam craſſidudinem, indeque diminutam ſenſibilitatem, ad eam inflammandam non ſufficit. E contrario autem ex cauſis ſupra expoſitis, vehemen-

(x) L. c.

mentiſſima albugineae inflammatio , teſte experientia, vnaque grauiſſima ſymptomata, nimirum dolores atrociſſimi ac vehementiſſima febris, oriuntur. Iſta medendi ratio ex eo tempore, quo Pott eam emendauit, mitior eſſe nobis quidem videtur, quippe qui per cannulam relictam in cauum tunicae vaginalis induxit cereum, propter molliorem ſubſtantiam lenius irritantem, at vero aperturam occludit tamen, atque ſic impedit, quominus euacuandi humores libere effluant. Fingamus etiam, cannulam ſeu per eam inductum cereum tunicae vaginalis inflammationem excitare, verum tamen non ad vniuerſum corpus pertinet, ſed in vulneris tantum vicinia haeret. Numquam ergo ex toto, ſed ex parte, cum albuginea coaleſcit, et ex hac cauſa cauum aliquod, nouae aquarum collectioni accommodatum atque opportunum, relinquitur. Quo maior corporis eſt ſenſibilitas, eo validior inflammatio, eoque certius ea in ſuppurationem tranſit. Pus vero, quod ob vulneris anguſtiam effluere nequit, ſenſim augetur, fit acre, putreſcit, vellicat, et vicinas partes corrodit; quare eius euacuatio citra voluntatem et expectationem noua integumentorum ſectione praeſtanda eſt. Pott experientia edoctus, quam raro iſta medendi via votis reſpondeat, quam facile graviſſima ſymptomata inferat, magis reprobat eam, quam laudat, quia propter inflammationis et doloris vehementiam tunicam vaginalem ſecundum longitudinem incidere coactus fuerit, antequam perfecte ſanatio ſequeretur.

§. XVIII.

Sabatier (y) multus eſt in iniectionibus ad curam radicalem obtinendam commendandis, et Hume, vt illius fert opinio, pri-

(y) Recherches hyſtoriques ſur la cure radicale de l'hydrocele vid. Mem. de l'Acad. de chir. T. V. Paris 1774.

primus fuit, qui iniectione ſpiritus vini inflammationem tunicae vaginalis concitare et hac ratione morbum ſanare tentauerit. Quia vero vehementiſſima ſequebatur inflammatio, MONRO vinum, et CAPDEVILLE duos trientes vini rubri et vnum trientem aquae vulnerariae ſimplicis cum viginti granis camphorae; CASTENET drachmas tres, SCHARP vnciam vnam, et MAIAVLD vncias duas ſpiritus vini iniiciendas putarunt. Horum exemplum quidem ſecutus eſt SABATIER, at infelici ſucceſſu, vt l. c. teſtatur. Tres enim illius obſeruationes notant, hoc remedium nihil praeſtitiſſe, morbum iterum rediiſſe, ac ſemper grauiſſima ſymptomata, inflammationem, vehementem tumorem ſcroti, dolores acerbiſſimos, febrem ſymptomaticam et vitae periculum intuliſſe. CAQVET decoctum roſarum rubrarum cum alumine, et LEVRET lapidis cauſtici grana duo cum vnciis quinque aut ſex aquae fontanae ſoluta, iniecerunt. Nihilo tamen ſecius le DRAN et DOVGLASS de iniectionum bono ſucceſſu dubitant, praecipue ſi morbus iam inueterauerit. Fluida enim iniicienda teſticulum atque tunicam irritant vaginalem; quae ſi nimiam ex malo inueterato contraxerit craſſitudinem, inflammatur quidem, ſed ſola tunica albuginea. Ex hac cauſa morbus raro, nec perfecte ſanatur, et teſticuli inflammatio et albugineae, quarum partium irritabilitas et ſenſibilitas magna eſt, dolores atrociſſimos, febrem ſyptomaticam aliaque grauiora parit ſymptomata. (z) Quid? quod inflammatio tranſit in ſuppurationem, vnde omnia incommoda, quorum mentio iam ſupra facta eſt, metuas.

§. XIX.

Ab antiquiſſimis temporibus in vſu fuit ſetaceum. GALENVS (a) enim aquam ope ſetacei extrahere iam praecipit, eumque ſequun-

(z) SABATIER l. c.

(a) Method. Medend. IV.

ſequitur Gvido de Cavliaco (*b*), qui per aperturam in ſcroto factam, poſtquam humores emanauerant, acum, ſetaceo inſtructam, traiiciebat, idque, oleo et albumine oui illitum, extracta acu, relinquebat. Iſta curandi via ex longa iam aetate prorſum traditus fuit obliuioni, et vero eam nuper Pott (*c*) multis extulit laudibus. Omnibus aliis auxiliis, quin ipſi inciſioni, quam antea prae ceteris defenderat (*d*), eam praefert, facillime ſuſcipi poſſe ait, raro dolores excitare immoderatos, raroque alia ſymptomata inferre exitiabilia. Tumorem, vt mos eſt, perforat acu triquetra, cannula inſtructa. Humoribus extractis, per iſtam cannulam aliam adhuc argenteam quinque pollices longam, quae illam exacte opplet, per cauum tunicae vaginalis ad anteriorem et ſuperiorem vsque partem traiicit, atque ſic adigit, vt externe tactum feriat. Quo facto, ſpecillum ſeu acum cuſpide triquetra et funiculo ex filis ſerici albi inſtructam intromittit, eam partem vaginalis et inuolucrorum communium perfodit, quae extremam ſuperiorem cannulam attingit. Vtraque cannula extracta, et acu a funiculo ſeparata, finita eſt operatio. Ad ſpasmorum vehementiam infringendam viginti quinque guttas tincturae thebaicae exhibet. Tertio die oritur inflammatio, cuius ſymptomata, inprimis tumorem et dolorem, ſuſpenſorio, cataplaſmatibus emollientibus; clyſmatibus victuque accommodato mitigare annititur. Decimo die poſt operationem corticem exhibet, quia ſub hoc tempore tumor atque inflammatio plerumque euanuit, et quotidie quinque aut ſex fila extrahit. Aperturam linteo carpto,

(*b*) L. c.

(*c*) An Account of the Method of obtaining a perfect or radicale cure of the Hydrocele Lond. 1771.

(*d*) Abhandl. von Waſſerbr. l. c.

carpto, et ſcrotum emplaſtro cerato obtegit. Vulnus paruam puris quantitatem fundere, hacque operatione tunicam vaginalem ſolummodo inflammari, minime vero ſuppuratione conſumi, pro certo affirmat. Interea vero alii teſtes idonei obſeruationibus ſatis ſupperque oſtenderunt, inflammationi ſetaceo concitatae non grauiora tantum ſymptomata, verum ſuppurationem etiam ſuperuenire. Puris vero fluor reprimitur, quia vtramque aperturam oppilat ſetaceum, ideoque reiteratae tunicarum inciſiones ſunt neceſſariae. Haec omnia Sabatier (e), ceteroquin de hac medendi via honorifice locutus, hanc obſeruationem nobiscum communicauit. „*Hanc operationem*, *inquit*, in homine ſexaginta octo annos nato, ſana autem corporis conſtitutione, faciebam. Laborabat morbo ſimplici, neque enim teſticulus, neque illius membranae morboſae erant. Altero die ſcrotum intumeſcebat, dolor et febris exoriebantur. Venam aegroto incidebam, ſcroto cataplasma emolliens anodynum imponebam. Quia vero die tertio ſymptomata exarſerant, iterum ſanguinem mittere cogebar, quod multum lenimenti adferebat. Quinto die mollitiem tumoris et fluctuationem animaduertebam. Hac re compulſus, per aperturas ſpecillum ſulcatum immittebam, et tunicam vaginalem, atque integumenta communia deorſum et ſurſum verſus ex longitudine duorum pollicum incidebam. Magna puris quantitas profluebat. Setaceum, vtpote quod poſthaec magis nocere potuiſſet, auferebatur. Vulnera, praecipue inferius, ad diem vsque decimum quartum pus abunde profundebant, tenſio et tumor euaneſcebant, et aegrotus corticis vſu vires amiſſas recuperabat. Idem vitium Bertrandi et Delattre (f) in hac curandi ratione reprehendunt, et experientia

(e) L. c.

(f) L. c.

tia edocti, morbum ſetacei miniſterio propter haud idoneum vel plane interceptum puris effluuium difficillime, ſaepius numquam perfecte ſanari, teſtimoniis indubitatis comprobant. Nuperrime Cl. Sommer (*g*), etiamſi huius methodi fautor eximius, hoc tamen incommodum memorauit, duplici caſu ſupperaddito, vbi decimo die poſt operationem abſceſſus naſcebatur; iure ſuo miratus, quod Pott hanc rem plane ſilentio tranſierit. Quod ad ſymptomatta attinet grauia, quae quamcunque medendi viam comitantur, ſunt imflammatio, tumor, dolor, febris et ſuppuratio. Iſta ſymptomata ſetaceum vel parit, vel non. Si, eaque vehementia, quam commemorandam duxi, hanc ob cauſam omnibus aliis auxiliis non eſt praeferendum: Sin vero non parit, ab illius vſu perfectam ſanitatem expectare non poſſumus. Ad ſanationem enim radicalem inflammatio totius tunicae vaginalis et albugineae requiritur, haec vero in tam ſenſibili tunica vtique dolorem, tumorem, febrem, quin etiam ſuppurationem excitet neceſſe eſt; quae quam vera ſint, ex iis, quae ſupra allegauimus, ſat liquet. Interea Pott de feliciſſimo vſu ſetacei gloriatur, eaque vſum eſſe vno eodemque tempore in aegrotis, qui in vtroque latere hydrope laborauerint tunicae vaginalis, ſiue fuerint iuuenes, ſiue ſenes, nec unquam grauia vidiſſe ſymptomata, ſemperque morbum perfecte ſanaſſe, affirmat. Quaedam vero, ſi quid video, ex nimio erga hanc curandi viam amore Cl. Auctor ſcripſiſſe mihi videtur. Paullo enim ante in alio libro (*h*), in quo vſum ſetacei multis quidem effert laudibus, ingenue tamen profitetur ſe minime affirmare poſſe, ſe nunquam in hac

 meden-

(*g*) Sammlung der auſerleſenſten Abhandl. für Wundarzte 1tes Stück p. 203. Leipz. 1778.

(*h*) Abhandl. von Waſſerbruche l. c.

medendi via grauia vidiſſe ſymptomata. Non aliter, ac turunda et cannula, non ſingulari quadam vi, ſed more cuiusque corporis peregrini agit ſetaceum, quippe talia eam partem, in qua latent ſimiliter irritant atque inflammant. Quaeritur autem, vtrum haec irritatio ad vniuerſam tunicam inflammandam ſufficiat, praecipue ſi ex malo inueterato iam contraxerit craſſitudinem? Eam quidem (puto) inflammabit, at in vicinia tantum, quare ſpes perfectae ſanationis ob particularem coalitum ſaepe irrita erit. Quod ad apparatum atque ipſam pertinet methodum Pottii, haec multis implicita eſt ambagibus, quod in eam Cl. Richter (*i*) iam animaduertit. Huic longa incuruata acus triquetra, ſub acumine foramine inſtructa, per quod funiculus traiicitur, ad hanc operationem maxime idonea eſſe videtur (*k*), et Warnervs (*l*) acu argentea incuruata, ſex pollicum longitudine, mucrone acuto, ex chalybe parata, vſus eſt.

§. XX.

Quia aegroti ab inſtrumentis acutis ſemper ſibi timent, ad hunc timorem auertendum quidam vſi ſunt cauſtico, quod ſcroto imponebant, atque ſic aquis ex tunicae vaginalis caro euacuandis viam parare ſtudebant. Sequenti autem tempore non ex hac cauſa ſolum, verum etiam ad inflammationem tunicae vaginalis excitandam adhibuerunt; Quid? quod etiam probe perſpexerunt, aperturas, acu triquetra factas, nimis anguſtas eſſe, atque puris effluuium remorari. Antiquiſſimis iam temporibus cauſticum in vſu

(*i*) Chirurgiſche Bibliothek 3. Band, 1. Stück p. 259.

(*k*) Richter l. c. p. 48.

(*l*) L. c.

vſu fuit, at vero illud nuper Cl. ELSE (*m*) quaſi ab obliuione vindicauit, quia mitius atque tutius reliquis auxiliis eſſe videbatur. Methodus haec eſt. Linteolum nummi magnitudine, maſſa cauſtica illitum, inferiori parte ſcroti imponitur, emplaſtro, ne dimoueatur, ſuperinducto. Sic ſenſim oritur eſchara, quae vel defluit, vel cultro perforari debet. Ex voluntate tamen auctoris non auferendum cauſticum prius eſt, quam integumenta communia atque ipſam vaginalem tunicam corroſerit. Semoto cauterio, ope ſupenſorii vnguenta adplicantur digeſtiua. Poſt viginti quatuor horas, quandoque etiam tres aut quatuor dies, aegrotus dolore in ſcroto, dorſo et inteſtinis conqueritur, et arteriarum pulſus accelerantur. Haec ſymptomata antiphlogiſticis, inprimis venae ſectione et clyſmatibus, praeclare mitigantur. Si eſchara defluit, ſub adſpectum venit tunica vaginalis, eaque cultello diſſecanda. Effluunt humores, et tunica vaginalis fruſtillatim cum pure eluitur. Intra quatuor aut ſex hebdomades euaneſcit durities ſcroti, et vulnus, vnde adhuc pus effluit, ſenſim conſolidatur. Scopus, quem laudatores cauſtici aſſequi annituntur, duplex eſt. Quidam enim integumenta tantum communia, non autem vaginalem tunicam cauſtico diſſoluere, hanc vero denudare et inflammare volunt. Quodſi ergo eſchara defluxit, vaginalem incidunt, vt humores effluant, atque hac ratione vniuerſae tunicae vaginalis inflammationem cieri, eiusque cum albuginaa coalitum effici poſſe putant. Quidam vero non integumenta ſolum communia, verum iunolucrum etiam vaginale cauſtico perurere cupiunt, vt aquis via absque cultro pateat, et tunica vaginalis ſuppuratione conſumatur. Ex quibus vero ſignis

 conii-

(*m*) An Eſſay on the cure of the hydrocele of the tunica vaginalis teſtis, Lond. 1770.

coniicere poſſumus, vim cauſtici iam penetraſſe ad tunicam vaginalem, eamque ita irritaſſe, vt, aquis eductis, inflammetur iuſto gradu, ac cum albuginea coaleſcat, non liquet? Habet certe haec res multum difficultatis. Vis enim cauſtici non eſt in poteſtate noſtra, quia ex diuerſa corporis conſtitutione modo celerius, modo tardius, effectus ſuos edit; neſcimus ergo, vtrum ad iuſtum vsque locum penetrauerit. Quare ſaepe neceſſe erit, vt vel nouum imponetur cauſticum, vel tunica vaginalis cultro diſcindatur. Porro vehementiſſimos cauſticum excitat dolores, quia ſenſim pedetentimque partes perurit. Magna eſt ergo irritatio, febrisque valida exſpectanda. Saepe coniunctus eſt cum hydrope tunicae vaginalis teſticulus ſcirrhoſus. In hoc ſtatu ſi cauſticum iam penetrauerit ad tunicam vaginalem, eamque corroſerit, quandoque nimis ſero morbi cognoſcitur complicatio, et malum ſubito in cancrum degenerat. Eiusmodi exemplum hominis quadraginta annos nati FABRIC. HILDANVS (*n*) nobis cum communicauit. Denique cauſticum non ſemper perfecte ſanat morbum, ſed is redit, vt ex obſeruationibus NEPOM. ab HVMBOVRG (*o*) conſtat, quare etiam DELATTRE ob vſu expertas atque indubitatas rationes, efficaciam cauſtici iam aſpernatus eſt.

§. XXI.

Tunicae vaginalis extirpatio certum eſt morbum perfecte ſanandi auxilium, quia haec quae, ſedes morbi eſt, radicitus cultelli ope effoditur. Hanc medendi viam CELSVS (*q*) memorauit. ALBVCASEM (*r*) vero accurate deſcripſit, et, qua ratione ſuſcipienda ſit operatio, dilucide propoſuit. Plerumque Scro-

(*n*) L. c. (*o*) L. c. (*p*) L. c.

(*q*) L. c. (*r*) L. c.

ſcrotum et tunica vaginalis ex longitudine diſſecantur, haec autem, aquis euacuatis, fruſtillatim, attamen ſine laeſione teſticuli, reſecari debet. Quia vero iſta operatio aeque difficilis et aboroſa eſt, ac diuturna, SABATIER (*s*) eam breuiorem ac faciliorem reddere allaborauit. Ex illius ergo conſilio tunica vaginalis circumcirca denudatur, et antequam effluxerint humores, accus reſecatur. Obſeruationes, quas DOVGLASS, WHIT, GOOCH et LOVIS memoriae prodiderunt, allegat, et ex his ſymptomata hanc methodum comitantia longe grauiora eſſe docet. „Inprimis MEDALON, dicit, eam laudat, ſi vaginalis indurauerit, et quaſi ſcirrhoſa facta ſit, quo tempore DOVGLASS optimo cum ſucceſſu eam extirpauerit.„ Quia vero teſticulus inter extirpationem facile laedi poteſt, et tunica albuginea aëri exponi debet, non ſatis tuta eſt operatio, quae non ſolum vires aegroti comminuit, verum etiam omnia ſymptomata grauiſſima, eaque periculoſiſſima, procreat.

§. XXII.

Inciſionem veteres ex eo, vt SABATIER putat, tempore, quo perſpexerunt, morbum imperfecte poſſe ſanari, iam cognitam habuerunt; FARIC. HILDANVS autem primus eſt, qui poſt ſeculum vndecimum de ea loquitur. Magnam antiqiores medici et chirurgi inciſionem faciebant in ſcroto, denudabant tunicam vaginalem, eamque aperiebant. Quo fiebat, vt morbus, niſi labia vulneris ſtatim coirent, ſed in his oreretur inflammatio, perfecte ſanaretur. Quod ſaepe etiam accidebat, ſi tunicae vaginalis apertura ſatis ampla erat. (*t*) Neque vero ſatis intelligo, quid ſit,

(*s*) L. c.

(*t*) PAVL. Aegineta l. c. et M. A. *Seuerin* l. c.

ſit, quod noſtris temporibus huic mtodo fere omnis a plerisque denegetur aſſenſus. In quacumque operatione chirurgica aetatis atque conſtitutionis corporis ratio habenda eſt, atque prius, quam fieri vel omitti debeat, cognoſcendum, vtrum aut bonum, aut malum exitum augurari liceat. Quod ſi itaque aegrotus laborat maraſmo et ſumma debilitate, vel cachexia cet. cuiusuis operationis chirurgicae, etiamſi ſit haud maioris momenti, felicem tamen euentum deſperare debemus. Illud axioma hic etiam valet plurimum. Quomodo is ergo, quaeſo ſperare, poterit, fore vt haec operatio proſpere atque ex ſententia ſuccedat, qui eam, licet aegrotus tali corporis vitio, inprimis leucophlegmatia, laboret, nihilo minus tamen audet ſuſcipere? Haec omnia ſymptomata vehementiam adaugent, eaque reddunt grauiora, naturam febris, quae hanc operationem neceſſario ſequitur, varie mutant atque exacerbant. Contra vero ſi aegrotus aetate adhuc floret, ac de reliquo perfecta corporis ſanitate fruitur, non eſt dubium, quin operatio feliciſſime ſuccedat. Corpus rite praeparari poteſt, quia plerumque in eo latent impuritates, quae poſtea per conſenſum neruorum irritant, idque eo magis, quia irritationis vis et magnitudo, quam parit operatio, per ſe ſatis vehemens eſt, et ſymptomata exaſperat. Omnia ſymptomata ſolummodo a partis morboſae ſenſibilitate pendent. Quare ſaepe fit, vt hic quoque ex ſumma ſenſibilitate delirium ſuboriatur, ad quod autem, et ad alia ſymptomata, phlethora et impuritates primarum viarum multum ſane conferunt. Neceſſe eſt ergo, vt vena incidatur, et leni cathartico aluus citetur, aegrotus vero carnium eſu et potu ſpirituoſorum ſe abſtineat. Diaeta ſit vegatabilis. Paullo ante operationem duodecim aut quindecim guttae laudani liquidi Sydenh. propinentur, quae ſpasmos ac irritationem

tionem coërcent atque infringunt. Quae ſi modum non excedunt, lenior inflammatio mitiorque febris euadit.

§. XXIII.

Ipſius operationis, ad cuius deſcriptionem iam progredior, in eo vertitur cardo, vt ſaccus ex omni longitudine aperiatur. Niſi enim inciſura longitudinem tumoris ſequitur, ſub ipſa ſuppuratione in fundo ſacci nondum diſſecto pus colligitur, quod acrimonia ſua ſymptomata adauget; Hoc vero vnaque reliqui humores euacuandi commode et liberius effluant neceſſe eſt. Tumor in anteriori parte aperiri debet, quia teſticulorum ſitus et inuolucrorum cingentium ſtructura impedit, quominus in parte poſteriori inciſuram facere poſſis. Ex Cl. Pottii conſilio, quod nobis maxime arridet, operatio ſic perficitur. Socius amplectitur ſcroti partem ſuperiorem et poſteriorem, vt humores verſus anteriora cogantur, et ſaccus diſtendatur. Quo facto, ſcrotum et tunica vaginalis in anteriori parte cultro aperitur. Si chirurgus inciſionem cultro etiam dilatare animo ſibi propoſuerit, tanta ſit apertura, vt digitus index illius hiatum ſtatim intrare poſſit; alias enim omnes humores effluunt, et ſubſequens tunicae vaginalis collapſus vulneris dilatationem difficilem reddit ac prohibet. Alii ſaccum vaginalem, ſcroto ab anulo ad fundum vsque inciſo, ex omni longitudine, duce ſpecillo ſulcato, aperiunt, alii inciſionem, cultro factam, forfice dilatant. Tunica vaginali rite diſſecta, teſticulus albuginea inuolutus ſub adſpectum venit, cuius quae ſit conditio, accurate, commode ac opportune iam poſſumus explorare. Si eſt perfecte ſanus, tunicae vaginalis cauum linteo carpto ſicco oppletur, attamen leuiter, ne comprimatur teſtis, quia illius tunica albuginea magna ſenſibilitate gaudet. Vulneri impo-

 nun-

nuntur lintela oblonga, vnquam applicatur ſuſpenſorium. Ad quartum vsque diem ligatura intacta relinqintur, quia ante hunc diem raro oritur ſuppuratio. Saepe autem fit, vt tunica vaginalis ea duritie ac craſſitudine eua fit, vt nec poſt aquarum euationem ſe contrahat, ideoque dolorem non augeat ſolum, verum ſuppurationem etiam ducat. Quare MEDALON (*u*) aliquam huius tunicae partem in vtroque latere reſecare ſuadet. Vaginalis fit dura atque craſſa, ſi vel humores ope paracenterii aliquoties educti fuerint, vel morbus iam inueterauerit, et ex hac cauſa tumor valde increuerit. In quo ſtatu chirurgus, rerum futurarum prouidus, minime aggreditur operationem obtinendae ſanationis perfectae ergo; ſed, ſuaſore Cl. SCHMVCKERO (*w*) aliisque, punctionem praemittit, vt ſcrotum ac tunica vaginalis ſe contrahant, et humorum aditus ad has partes inhibeatur. Dolor et febris accommodatis auxiliis mitigari debent. Multum autem lenimenti affert et vſus ſuſpenſorii, et ſitus horizontalis. Dolores, qui plerumque operationem inſequuntur in regione lumborum, clyſmata emollientia ex floribus chamomillae, malvae et oleo lini optime leniunt. Abdomen panno laneo, decocto florum chamomillae madefacto, fomentetur. Finita operatione, internis etiam medicamentis inflammationi occurramus neceſſe eſt, inprimis potionibus ex nitro cum laudano liquido Sydenh. liquore anod. Hoffm. et ſyrupo florum papau. rhoeados paratis. Opium dum refrenat irritationes et ſpasmos, ſimul extinguit fomitem, ex quo facile inflammatio oriri poteſt vehementiſſima, atque ob eam rem antiphlogiſtici nomen vtique meretur. Pulſus magnus, latus, fortis et corpus plethoricum venae ſectio-

nis

(*u*) L. c.

(*w*) Wahrnehmungen 2. Theil.

nis neceſſitatem indicant. Increſcente vero inflammatione, altero aut tertio die poſt operationem, vſu opii abſtinere debemus. Conducit autem potio nitrata cum ſale mirab. Glaub. quae ſordes etiam ex primis viis ſubducit, vnaque impetum inflammationis minuit. Quarto die labia vulneris et teſticulus iam intumuerunt, omniaque ad tactum dolent. Febre autem antea imminuta, quarto aut quinto die accedit ſuppuratio, quam digeſtiuis et cataplaſmatibus emollientibus, ope ſuſpenſorii applicandis, adiuuamus. Puris fluor minuit dolorem et tumorem, cauum ſenſim fit anguſtius, et denique perfecta ſequitur conſolidatio. Nihilominus vſus ſuſpenſorii continuatus adhuc ſalutaris eſt, quia teſtis per aliquot tempus aliquam tumoris formam retinet.

§. XXIV.

Huc vsque diuerſas hydropi tunicae vaginalis teſticuli medendi vias pertractauimus. Iam vero reſtat quaeſtio, quaenam omnium ſit optima et efficaciſſima? Eam profecto talem eſſe puto, qua tuto ac certo morbum ſanamus, ita, vt nunqum reuertatur.

Tuto medemur huic morbo, praecipue ſi cognouerimus, quo ſtatu, ſano, an morboſo, ſit teſticulus. Teſticuli autem ſcirrhoſi diagnoſin, in primis praeſente hydrope tunicae vaginalis, difficillimam eſſe, exercitatiſſimi quique chirurgi et medici ingenue profitentur.

Sola inciſione teſticulus ita denudatur, vt, illius quae conditio atque habitus ſit, magnitudinem naturalem excedat, et ſcirrhoſus ſit, nec ne, curatius inueſtigare poſſis. Quae vitia ſi adſint, aegrotus ſtatim caſtrari debet. Ait quidem Cl. Pott (*x*), hanc

 viam

(*x*) Abhandl. vom Waſſerbr. p. 177.

viam (loquitur de vſu ſetacei) in aegrotis diuerſae aetatis, et vbi neque cauſticum, neque inciſionem in vſum vocare licebat, feliciſſime ſe iniiſſe. Cauſas autem Cl. Auctor, ob quas morbum inciſione ſanare ei non licuerit, reticendas exiſtimauit. Praeter horrorem, quo forſitan aegroti animus perſtringi poſſit, quae inciſionem diſſuadeant, cauſas nullas ſubeſſe video, plures vero, quae iniectione, cauſtico, turunda, cannula et ſetaceo abſtinere iubent. Inprimis vero huc ſpectat teſticuli morboſi ſuſpicio. In omnibus aliis medendi viis haec vitia vel nimis ſero, vel iuſto adhuc tempore cognoſcimus. Si hoc eſt, vnicum tantum ſupereſt auxilium, quo aegrotus ex orci faucibus eripi poteſt, nimirum teſtis extirpatio, quae ſine inciſione nulla eſt. Quia ſaepe accidit, vt chirurgus dubitet, tumor magis ſit ſarcocele, an hydrops tunicae vaginalis, vel non poſſit ſupicari teſticulum morboſum, hinc omnibus aliis auxiliis anteponenda eſt inciſio, cuius ope haec omnia manifeſta fiunt. Cl. Gooch (*y*) fluctuationem in tumore ſcroti diſtincte tactu percipiebat. Quia vero teſticulum morboſum ſuſpicabatur, ſetaceo, cauterio et turundae inciſionem praeferebat; et cum poſtea teſticulum ſcirhoſum deprehenderet, eum amputabat, et aegrotus breui tempore ex morbo conualeſcebat. Inprimis Cheselden et Sharp hanc curationis rationem reprehendunt, quoniam grauia ſymptomata, puta, vehementiſſimam inflammationem, dolorem, febrem ſymptomaticam etc. excitet. Nonne autem ex Cl. virorum obſeruationibus ſatis conſtat, eadem ſymptomata reliquas etiam medendi vias conſequi? Ipſe Cl. Pott (*z*), qui nihil praetermiſit, quantum facere potuit, quin ſaltem vſum ſetacei ab omni vituperatione defenderet, ingenue fatetur, ſe omnes

(*y*) Medical et chirurgical obſeruations. l. c.

(*z*) L. c.

omnes medendi vias ab auctoribus laudatas, tentaſſe, easque omnino omnes dolorem, inflammationem, febrem ſymptomaticam, quin etiam vitae periculum intuliſſe. Quodſi operatio in corpore ſanae; et cuiuis operationi chirurgicae accommodatae conſtitutionis, et cum neceſſaria circumſpectione inſtituitur atque perficitur, ſymptomata intra modum ſe continent, id quod vſus et experientia iam ſatis comprobauit. Non enim memini, me vnquam obſeruationem legere, aegrotum, hac ſpecie hydropis laborantem, de reliquo autem perfecte ſanum, vſu inciſionis mortem oppetiiſſe. Si ergo in aliis medendi viis ea non adhibetur cautio, eadem etiam ſymptomata periculoſa inſequentur. Conſtitutionem enim corporis morboſam, humorum prauitatem, diſpoſitionem putridam et ſcorbuticam, et irritabilitatem, impotentiam, animi perturbationes aliaque vitia aeque reliquas methodos, ac inciſionem, niſi antea emendari poſſint, periculoſam reddere, quilibet, vel me non monente, facile perſpiciet. Porro ſymtomata, quae ex impedito puris fluore propter vulneris anguſtiam oriuntur, hic ceſſant. Neque dolor enim noua inciſione inſtauratur, neque febris et inflammatio augentur, quia inciſio euacuandis humoribus vbique exitum iam patefecit.

Deinde certo ac perfecte morbus ſanatur, ſi tunica vaginalis in vniuerſum vel inflammatur, ita, vt vbique cum albuginea tunica coaleſcat, vel ſuppuratione deſtruatur. Inciſio aptae partis, nimirum tunicae vaginalis, et quidem vniuerſae, inflammationem ciet, quia irritatio inde oriunda eam ſolummodo ferit, atque ſatis valida eſt. Haec autem in ceteris medendi viis prorſus deſiderantur, primum, quia ad vniuerſalem vaginalis, praeſertim nimis craſſae, inflammationem excitandam non ſufficit irritatio,

quam

quam illa corpora aliena ciere ſolent; deinde quia ſaepe non vaginalem, ſed potius albugineam et teſtem afficiunt; ideoque non grauia ſolum ſymptomata, ſed ſaepius etiam particularis inflammatio et coalitus oriuntur; atque aegrotus in eundem morbum incidit. Id quod obſeruationes Cl. virorum ſatis docent et extra dubitationis aleam ponunt. E contrario Pott, Warner et omnes, qui inciſionem in vſum vocarunt, morbum inciſione, licet nihilominus aliam atque aliam medendi viam ad medicationem radicalem obtinendam offerant, ſemper tamen perfecte ſanatum eſſe fatentur. Quae cum ita ſint, non eſt, quod inciſionem longe tutiſſimum ac certiſſimum hydropem tunicae vaginalis teſticuli perfecte ſanandi auxilium praedicemus. Eſt ergo optima efficaciſſima ceterisque longe anteponenda curandi ratio.

§. XXV.

Haec fere ſunt, Lector beneuole, quae de tunicae vaginalis teſticuli hydrope atque medendi viis variis ſpeciminis loco academici, pro virium imbecillitate, eaque, qua fieri potuit, breuitate, exponere volui. Me autem a viris maiori prudentia ornatis, iuſtisque rerum arbitris eorum, quae in pertractanda hac materia aut omiſi, aut commiſi, veniam facile impetraturum ſpero atque confido.

Errata

pag. 2 lin. 4 abdomine. lin. 9 quos. p. 8 lin. 8 inquit pag. 10 lin. 5 hydrops cyſticus. pag. 13 lin. 9. arſenico. p. 18 lin. 7. excitandam. p. 20 l. 21 unguenta emollientia pag. 21. lin. 7. coagmentatio p. 28 lin. 18 cauo 29. lin. 24 albuginea p. 32. l. 1 methodo.